



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas huius regionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

Cremonam, Laudam, Dertonam, Alexandriam, Comum, Nouariam, Bobium, & Vigeuanum.

Itaque *longitudo* eius desumitur à pago Rusca in regionibus Inalpinis, ferè Sabuloneram vsque; quod spatium complectitur circuli maioris duos gradus cum dimidio, ac proinde 150. millia pass. Francicas leucas 75. Germanicas 37 cum dimidia. *Latitudo* à Sauiuione *Sauignone* in limite Genuensi ad montem sancti Gothardi planè longitudini similis est, videlicet 2 graduum cum dimidio maioris circuli. Circuitus denique peritiorum iudicio est 300. mil. passuum.

N V M. 3. *Qualitas huius regionis.*

REGIO tota imprimis rigua est multis fluuiolis interscissa, multis lacubus distincta; in cilibus plurimis in omnem partem deductis diues. Circa Mediolanum tanta oryzae copia prouenit, vt per vniuersam Italiam, ac Galliam distribuatur. Ager Cremonensis vini feracissimus est ac fructuum, Ticinensis lini, Laudensis pascuorum: laudantur huius regionis casei, quorum se vidisse aliquos, ait Leander, 500. librarum.

N V M. 4. *Politia Ducatus Mediolanensis.*

REGIMEN POLITICVM huius regionis ita se habet: præest Gubernator *le Gouverneur de Milan*, qui Vicarius Generalis dicitur, penes quem arbitrium rerum omnium politicarum, & electio omnium Magistratum, quorum potestas biennio expletur. Assidet Gubernatori Consilium secretum constans ex Generali Duce omnium copiarum militarium, Castellano Mediolanensi, Cancellario, Præsede Senatus, Præsede Magistratum oppidanorum, Quæstore Generali, cui aliqui adiunguntur ex Regis gratiâ.

REGIMEN CIVILE. Senatus Mediolanensis constat ex Præsede & XII. Senatoribus, quorum tres solent esse Hispani, cæteri ex præcipuis ciuitatibus eius Status, è quibus solet ex veteri consuetudine legi *Regens*, qui in Hispania Regi assistat. Ab hoc Senatu nulla appellatio. Omnes Ciuitates & Castella reguntur vt plurimum à duodecim Decurionibus, qui sorte eliguntur è capsâ Consiliariorum qui LX. numerantur: hi autem omnes Decuriones Mediolani degunt.